

www.e-rara.ch

Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...

Humel, Johann Henrich

Tiguri, 1670

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo XIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SERMO XIII.

Textus Philem. v. 2.

Κὶ Ἀρχίππῳ τῷ συσχεπτῷ ἡμῶν.

Hactenus duas personas primarias, ad quas hæc Epistola missa, consideravimus, nempe Philemonem & Apphiam Conjuges.

Tertia sequitur persona, quæ hic describitur,

Archippi, laudatio.

I. A Nomine: Ἀρχίππῳ.

II. Ab Officio: συσχεπτῷ.

I. Nomen Archippus est Græcum, quasi ἀρχὸς ἵππων, qui equos regere & fræno moderari potest. Dantur etiam homines instar equorum expertes intelligentia, quorum os fræno & habena constringendum, Psalm. 32:9. Imò nulla Ecclesia usque adeò domita, quin requirat aliquem Ἀρχίππον. De hoc Ἀρχίππῳ etiam mentio fit, Col. 4:17. ubi Apostolus ait; Ἐπιστε Ἀρχίππῳ, βλέπε τὴν διακονίαν, &c. Nonnulli ipsum vocant Philemonis & Apphiæ generum, alii ipsum filium dicunt.

Hoc verum & certum, ipsum habitasse cum Philemone, & fuisse Ministrum Ecclesiæ Colossensis; monet enim Apostolus, Col. 4:17. ut impleat ministerium, siquidem Epaphras ejus Symmyta absit, ut eò diligentior & frequentior sit in utriusque partibus agendis.

II. Hic Archippus insuper appellatur συσχεπτῷ, quia cum aliis sub Christi vexillo militabat. Omnium quidem hominum vita in terris est militaris vita, Job. 7:1. Hinc Ethnici, vivere, militare est; Seneca. Imò simul ac infans in lucem editur, statim ejus incipit certamen, duraturum ad ultima fata. In primis verò vita veri Christiani militia est sub Christo duce, Apoc. 17:14. Christus est dux hujus militiae, Dominus Exercituum, hic est veniens ex Edomæa Βοζρα, vestibus madefactis sanguine, &c. Esa. 63:1. יהושיע ברב, qui certamen acerrimum decertavit. Est Michael, qui cum Dracone pugnavit, Apoc. 12:7. & Leo, qui vicit, Apoc. 5:5. Ille contrivit caput serpentis, Gen. 3:15. ille est, qui triumphum egit, ut legere est, Col. 2:15. Hebr. 2: 4, 15. Ipse Ecclesiam suam eum in finem elegit, ut militet sub ipso, & sit in his terris Ecclesia militans: hinc comparatur vexillationibus, Cant. 6:7. & 4:4. ita ut omnia Ecclesiæ militantis membra συσχεπτῷ sint. At præter omnia illa & omnium præcipuè hic titulus attribuitur Ministris & præconibus S. Evangelii; non hic solum, sed & alibi, Phil. 2: 25. ut qui in communi hac militia Christianismi Christi capitis sui officarii & intrepidi signiferi esse debent, ante commilitones gregarios incedendo, in aciem eos digerendo, & in gerendis contra hostes armis eos instruendo.

Quando igitur Archippum nostrum in textu consideramus in Relatione Christiani, ut mem-

Archippus, consideratus ut Christianus.

brum

qui talem consecutus est. Ethnicorum jam olim effatum; Ἄριστον ἀνδρὸς κτήμα συμπαθῆς γυνῆ, &c. Et Menander, Θεσσαυρὸς ἀγαθῶν ἐστὶν ἡ γαθὴ γυνῆ. Sic Prov. 9:10. Domus & substantia possessio patriæ, à Jehova autem uxor intelligens. Omnia quidem bona à Deo, Jac. 1:17. at talis uxor singulare & eximium quoddam Dei donum existit; & qui tale consequitur donum, benedictionem consecutus est. Adjutrix ea existit & socia in secundis & adversis, bonis & malis, non relinquit maritum solitarium in afflictione, socia fortunæ variæ; benedictionem non in ipsum solum, sed & in liberos attrahit, integramque familiam: Corona est mariti sui, &c. Prov. 12:4. & 21:23. Non annulus modò, qui ramen magni aestimatur, Gen. 41:42, sed corona, imò & coronâ aureâ in capite, Prov. 4:9. Maritus corona uxoris, & uxor mariti.

Mariti ergo, qui tantam consecuti sunt à Domino benedictionem, caveant, ne eâ abutantur, ne eandem spernant, & pro nihilo putent; sed potiùs Uxores diligant, ut vitæ socias, Dei manu sibi junctas, Prov. 5:19, 20, 21. Eas enim diligere tenentur mariti ut semetipsos, imò ut ipse Christus Ecclesiam, pro qua seipsum tradidit, Eph. 5:25, 28, 29. Da ei, inquit Salomon, Prov. 31:31. de fructu manuum ejus, & laudent eam in portis facta ejus. Si enim est uxor, qua tantum bono te afficit, Prov. 31:12. agendum, quod tibi ab ea fit, facito ipsi, & ad omne bonum tam temporale quàm æternum eam promoveto; alioqui bonum illud, quod præstiterit tibi, testimonio erit contra te, teque accusabit, ut qui malum pro bono reddideris, idque sociæ vitæ tuæ; id quod nil nisi duplicatum illud va, omnemque maledictionem attrahit. Videlis igitur, ut cum tali unâ verferis ut scientem decet, 1. Per. 3:7. Eam, ut Dei munus, accipe & tracta, certò persuasus, Deum non inultam dimissurum contumeliam dono à se tibi dato illatam. Nos non sustinemus, si proximus acceptum à nobis carbunculum spernit & projicit; & cur Deus ferret injuriam, si munus peculiari modo ab ipso nobis datum conculcaremus eodemque abuteremur?

Uno verbo: Maritus & uxor ita de se invicem sentiant, ut de auxilio mutuo destinato ab ipso Deo ad juge consilium, subsidium & solatium, Eapropter grato animo alter alterum recipere à Deo, & uterque utriusque salutem, ut cohæredis, promoverè teneatur. Et sic sine dubio Deus largam addet benedictionem eorum donis, ad ipsorum salutem & suam gloriam, in hoc & in futuro

seculo.



U s u s III.
Maritorum
erga bonas
Uxores of-
ficium.

brum Christianæ, familiæ Philemonis & Apphiæ, quæ Ecclesia nuncupatur, ut talem qui Evangelium profiteretur, tunc hancce habemus.

Δ *Quemvis Christianum verum esse militem & αὐσεβῶν in militia Christi.*

Quando verò eundem consideramus ut Ministrum Evangelii Colossentem; ut talem, qui Evangelium prædicat, tum hæc inde fluit,

Δ. *Ministerium esse operosum & onerosum munus, in quo militiâ strenuâ pugnandum contra varios hostes, sese ubique & semper piis opposcentes.*

Nunc tantum Archippum proponemus sub priorè relatione sive ratione, ut fidei confessorum & membrum domesticæ Ecclesiæ Philemonis & Apphiæ; & sic non tam ut Pauli & Timothei, quam ut Philemonis & Apphiæ commilitonem: sed id brevius. Post etiam sub relatione posteriore, ut præconem Evangelii & Ecclesiæ Coloss. Ministrum: idque paulo fufius.

DOCTRINA.
Christiani sunt commilitones: Christianismus militia.

Δ. Quod ergo ad Archippi fidem & Evangelium attinet, docebimus exinde, non illum modo, sed & omnes Christi confessores & membra esse milites & commilitones: *Vocationemque eorum Christianam esse pugnam & certamen perpetuum.* Quotquot Christo Jesu nomen dederunt, sunt commilitones, nemine excepto. In bello seculari sæpe multis parcitur, qui ad id non acceruntur. Levitæ, sacerdotes & etiamnum Verbi Ministri ad illud non urgentur propter munus suum: Mulieres propter sexum, ut quæ sunt vasa infirmiora; senes & effœti, ut & juniores, ut ad arma vel non amplius, vel nondum apti, propter ætatem utrinque minus firmam: Ægri, debiles, qui inepti ad arma, &c: At in fidei hoc certamine nemo excipitur. Chrysostomus, Homil. 15. in Acta: *Ἀγὼν ἐστὶν ὁ πνευματικὸς πόλεμος ἐστὶν ἡ μάχη. Præsens tempus certamen est: bellum & pugna est.* Quicumque Christianus esse vult, sit miles & commilito necesse est.

Evangelii Minister classicum canere, tubam inflare, certamen inchoare, ducem agere, alios excitare, & fortitudinis exemplo certamen decertare tenetur. *Infantes* statim ac in lucem editi sunt, in album Ducis sui Christi inscribuntur, Baptismo, tanquam militiæ sacramento, obligantur atque auctorantur; sub ejus vexillo decertaturi ad mortem usque: Imò sæpe antè vincunt, quàm certamen intelligant; robore scilicet Christi ducis, de quo egregiè Cyprianus, Ep. 4. ubi laudat puerulos ob Christi nomen tum temporis trucidatos; *Aetas*, inquit, *necdum habilis ad pugnam, idonea exiit ad coronam.* Et Damianus, Serm. de Sanct. Viçt. *Præus vitæ, quàm vincere nôset.*

Muliebris sexus etiam ad hancce vocatur militiam, ut cui decertandum bonum illud fidei certamen. Vocantur quidem mulieres vas debilius sexus respectu, at sæpe sunt vas firmius in decertatione pro causa Christi. *Plurima ea-*

rum (ait Cyprianus de habit. Virg.) *jam sunt in cælo coronata, & vestita albis vestimentis innocentia & puritatis & rubris, in testimonium proprii sanguinis pro Christi nomine effusi.* Et, *Fortior femina Viris torquentibus invenitur.*

Senes item commilitones sunt: nam tum etiam, cum infirmantur, firmi sunt, ut Paulus, 2. Cor. 12:10. & constituti in agone mortis, & viribus corporis destituti, decertare tamen valent cum Leoribus, 1. Petr. 5:8. & fide vincunt. Summa, *Omnes Christiani* hîc sunt commilitones.

At videamus circa hoc certamen

1. Quibuscum intercedat Christianis certamen & militia?
2. Quousque & quamdiu duret?
3. Quibus armis pugnandum?

I. Christianis commilitonibus militia est cum omnibus suis hostibus. At quoniam sunt hostes, contra quos ipsis certandum? Ii sunt

Hostes, quibus cum Christiano dimicandum.

- a. *Mali Angeli*, per malas suggestiones;
- β. *Mali homines*, per seductiones & persecutiones;
- γ. *Alia Creatura*, per instigationes malas;
- δ. *Homo ipse* contra se, per voluptates malas.

Sic sæpe contra Deum, Spiritum gratiæ, & ipsum Christum bellum geritur, adeoque *singuli necessarii, singuli adversarii.* Lucta hæc est

- a. *Adversus imperia, potestates, mundi dominos, rectores tenebrarum hujus seculi, adversus spirituales malitias in sublimi*, Eph. 6:12.
- b. *Adversus filios Belial, seu Babelis.*
- c. *Adversus Cananæos intestinos.*

Vel sic: Christianis commilitonibus pugnandum,

1. *Cum Mundo*, hoste externo, qui nunquam non illecebris suis fallacibus hominem capere & neci tradere satagit. Johannes vocat hæc *esculenta*, 1. Johann. 2:16. *cupiditatem carnis, libidinem oculorum, fastum vitæ.* Contra hæc decertandum, Jac. 4:4,7. nec induciæ faciendæ, vel amicitia concilianda, Matth. 13:22. 1. Tim. 6:9,10,11,12,15.
2. *Cum Carne*, intestino & valde periculoso hoste, qui assiduè voluptates malas suggerit & fovet, *contra animam pugnantes*, 1. Petr. 2:11. *Hæ legi Dei non subjiciuntur*, Rom. 8:7. Hæ sunt vetus ille homo, vetus Adamus & veterator, malignus & vaferrimus hostis.
3. *Cum Satana*, externo simul & intestino hoste, maligno illo, qui mundum & carnem regit, dictus aliàs *ὁ πονηρὸς*, Matth. 13:19. *ἐχθρὸς*, Matth. 13:28. *ἀνθρώπου πονηρὸς*, Joh. 8:44. *ὁ περιεζών*, Matth. 4:3. *ὁ ἰαγυρὸς*, Matth. 12:29. *Leo*, 1. Petr. 5:8. *rugiens, furiosus, vigilans, obambulans, quærens, devorans.* *Belial* 2. Cor. 6:15. *Caput rebellium, Princeps hujus mundi*, Joh. 12:31. *Dominus mundi*, Eph. 6:12. *Princeps æris,*

aëris, Eph. 2:2, 6. *Abaddon*, *Apollyon*, Apoc. 9:11. *Draco*, *serpens magnus*, *rufus*, *antiquus*, Apoc. 12:20. *Beelzebub*, Matth. 12:14. *Calumniator sive Diabolus*; 1. Pet. 5:8. (quippe qui calumniatur Deum, Gen. 3:4, 5. & homines, Job. 1:9, 21.) *Adversarius*, 1. Pet. 5:8.

Christianæ
militiæ
diuturni-
tas & con-
tinuatio.

II. Quousque verò & quamdiu hæc durabit militia? Quamdiu futuri sunt Christiani in terris, tamdiu etiam hæc durabit militia, & ipsi erunt commilitones. Prælia & militia hujus seculi diu subinde durant, at sæpius dimicantes vel nox ingruens, vel instans tempestas, vel victoria & fuga, vel induciæ intercedentes, dirimunt ad tempus: at in spirituali hac militia non sic; cum primum factus es Christianus, & Christo nomen tuum dedisti in SS. Baptismate, ab ipso die conversionis ad diem usque dissolutionis, miles eris in armis; hostes non defatigantur, nox iis præsidio est, tempestas occasio, fuga instigatio est, & induciæ nullæ.

Simul ac Christus, caput, baptizatus fuit, statim ipsum adoritur hostis impetu furioso, Matth. 4:1. Idemque obtingit membris; vix sua Christo dant nomina, cum eos hic aggreditur Satanas, sicque persequitur quoad potest, nec concedit requiem usque; ad tempus illud requiei, de quo Apoc. 14:13. Statim atque Israël servitutis domo, Ægypto, exiit, Pharaon omnem contra eum vim hostilem adhibuit, Exod. 14. Sic simulatque veri Israëlita mundo & carni renunciare & Pharaonis infernalis jugum excutere incipiunt, illico iste omnem vim infernalem conclamare ipsosque insectari incipit. Simul ut Jesus infans natus erat, Herodes ei moliebatur necem, Matth. 2. Sic regenerationis opus per multos dolores vix sumit initia, & ecce Pharaon infernalis & hostes obstetricantes recens genitos suffocare fatagunt. Semen bonum vix feritur, cum hostis infaustus suum miscet lolium, Matth. 13. Quando Christianus bonum molitur opus Deo acceptum, confestim hostis adest & impedimenta infert, Matth. 3. Neh. 6. Esth. 5. Gen. 29. Gal. 1. Heb. 10. Quando meditatur peccatum, illicò hostis in suum commodum id arripit, ut in Davide & Petro, Psal. 51. 2. Sam. 24. 1. Luc. 22. Et cum hora mortis Christiano Athletæ instar, nihil non tentat, & in omnes partes sese versat hostis, Apoc. 12:11. Lucta est, uno verbo, ad mortem usque, 2. Tim. 4:6, 7. Apoc. 2:10, 26.

Arma mili-
tiz Chri-
stianæ:
eorumque
Qualitat.

3. Quibus verò armis hic standum & pugnandum?

α. In genere, non debent esse carnalia, sed spiritualia, i. e. divinius valida, &c: 2. Cor. 10:4. ad conterendum caput hostis, Gen. 3. Commilito Christianus debet induere *πνευματικόν* illam Eph. 6:11. viriliterque agere, fortisque stare & intrepidus, 1. Cor. 16:13.

β.
Quantitas.

β. In specie sequentia ab omnibus militibus Christianis arripienda & adhibenda contra hos hostes:

α. Fides.

α. *Fides salvifica*, quæ militum Christi

Clypeus ad extinguenda jacula ignita maligni. Varia quidem sunt jacula Satanae, mundi & carnis; at tria genera hæc ipsis frequentiora, quæ per fidem declinanda:

Ephes. 6:16

1. *Corruptio* homini innata, patefacta per peccata actualia, ubi hostes hominem ad ea perpetranda sollicitant, 2. Sam. 24:1. Verum fides hæc extinguit, & *purificat cor*, Act. 15:9. & homini demonstrat, talia perpetrantes vitam æternam non impetraturos, 1. Cor. 6:9.

Vel sollicitatum & peccantem eò deducere tentant, ut desperabundus credat, peccata majora esse, quàm quæ remitti possint. Et hoc iterum extinguit fides, Rom. 5:20.

2. *Tentatio*, imò ignea tentatio, quæ militum spiritum fatigant & enervant, & omnia, vitam quoque ipsam, turbant, 1. Pet. 4:12. David, Heros ille hujus militiae, de telis ejusmodi conqueritur, Psal. 102:4. & 119:82. At ea extinguit fides, certiores reddendo fideles, hæc ipsis nocere non posse, Jac. 1:2. Rom. 8:28, 35. seqq. & quamvis arcus & sagittæ sint hostium, collimationem tamen esse Patris cælestis, qui venena temperare & eximere possit, adeò ut non noceant, sed potius sint tela monitoria Jonathanis, qui & acumen gladii & ignis ardorem amovere novit, Gen. 50:20. Psal. 27: v. ult. Hebr. 11:34. Exod. 3:3. Dan. 3:27.

3. *Indignatio Dei*, ejusque fervor & ira, telum acutissimum, Job. 6:3: quod in suas rapit partes Satanas & mirè exaggerat, Esa. 3:30. Gen. 2:17. Ezech. 18:4. 2. Cor. 4:4. Hebr. 12: v. ult. Sed fides extinguit, applicando homini meritum Christi iustificans; ut aqua ignem extinguit, sic hic Christi sanguis iram Dei, Eph. 6:6. 1. Pet. 5:9.

b. *Spes viva* alterum est contra hostes militiae & defensionis instrumentum, quæ est expectatio ejus quod semel fides arripuit, 2. Cor. 1:10. Ubi non est fides, ibi nec spes; & ubi abest spes, ibi deest patiens expectatio divinarum promissionum. At ubi est spes, ibi *galea salutis* protegens caput, ut miles perstare queat, certò persuasus, se non pudefactum iri ad finem usque spei, immortalem scilicet gloriam, Rom. 5:1, 2, 3, 4, 5. Hebr. 11:1. 1. Joh. 3:3. 1. Thess. 5:8. Psal. 27:13, 14. Rom. 8:24, 25. Eph. 6:17.

b. Spes

c. *Patientia Christiana* porrò hic necessaria, per quam miles animam possidet; in hac enim militia ei obveniunt fames, sitis, nuditas, periculum, præcipitia, saxa prærupta, aqua turbida, virgæ, verbera, catenæ, vincula, morbi, lapsus & mors amicorum, cognatorum; jactura porrò opum, nominis & famæ; & quis enarret omnia? Hic sola perdurat patientia, & athleticè pugnat ad plenam usque victoriam, tantisper dum transibimus è tempestate in tranquillitatem, è penuria in locum abundantia, è periculo in locum tutum, &c: Matth. 24:13. Luc. 21:19. Jac. 1:4. Hebr. 11. Jac. 5:8.

c. Patientia

F

d. *Justi-*

d. Justitia.

d. *Justitia* partem quoque suam habet inter hæc arma militiæ; siue consideres *imputatam* illam Christi ad *justificationem* nostri, siue *impercitam* seu *inherentem sanctificationis*, quæ homo sanctè & piè vivere studet. Ambæ commilitoni pro armis necessariæ. Propria justitia nostra hîc nulla est, Esa. 64:6. Cum ea consistere non valemus, nec tela depellere vel incurfiones hostium refugere, aut imperum frangere possumus: sed ut Achabi armatura penetrabilis est, 1. Reg. 22. nec Satanæ nec mortis tela sustinens. At si hanc Justitiæ Christi armaturam induamus, nil contra nos poterit hostis, Rom. 5: 1. Phil. 3:9. Ephes. 6:14.

e. Veritas.

e. *Veritas*, quæ cincti stant hi milites, Eph. 6:14. Ubi hæc non inest cordi, ibi non prodit per linguam; & ubi loco veritatis in cordibus est error, falsitas, hypocrisis, mendacium, ibi nemo subsistit. Necessè ergo est, militem nostrum stare cinctum promissionum divinarum veritate, & cor esse munitum ac stipatum, ut ex omni latere ingruenti hosti resistere possit: dein eum esse puro & sincero corde, hoc enim perdurat, 2. Petr. 1:12. Esa. 38:3. Eph. 4:25. Joh. 1:47.

f. Verbum Dei.

f. *Verbum Dei*, quod est *gladius Spiritus*, Eph. 6:17. Rom. 1:16. 1. Petr. 1:23. quo miles noster non tantum defendit se ipsum, sed & offendit atque lædit hostes. Gladius duplicem hunc usum habet instar gladii Eleazaris; voluntates eo refecantur & Satanas in fugam vertitur, 2. Sam. 23. Act. 18. v. ult. Christus ipse hoc usus est gladio, Matth. 4:4.

g. Precēs

g. *Precēs* tandem assiduæ, fervidæ & fideles, quibus miles semper armatus esse debet: nil enim validius coram Deo, quibus etiam victoria certa obtinetur, Ephes. 6:18. Jac. 5:16.

Et sic videtis, 1. *Cum quibus* hostibus; 2. *quamdiu*; & 3. *quæ armaturâ* commilitonibus Christianis pugnandum sit.

Rationes.

Et hæc necessariò sic se habent: Deus enim id vult, Christus docet proprio exemplo, & fortitudo nostra sic exploratur, *χαρίσματα* probantur, dona exercentur; quin nemo, nisi qui ritè depugnaverit, coronabitur: armatura nostra secus ferrugine quasi obduceretur, arma pessum irent, inimici insultarent, & ipsa salus veniret in discrimen, si detrectaretur hoc militiæ nostræ certamen. Cananæa terra Israëlitis eo nomine chara erat, quia multis iisque acerrimis pugnis eam sunt consecuti: sic Christi athletic olim sua Canaan cœlestis.

Usus I.
Ignavi Milites Christi, strenui Milites Satanæ.

At quot hîc reperiuntur, qui dici volunt veri Christiani, quibus tamen nihil de hac militia compertum? Verum quidem est, nos omnes Christo nomen dedisse in Baptismo, & fidem militandi sub Christo, contra carnem, mundum, Satanam, ad extrema usque fara.

At quousque hætenus decertavimus, & qui hostes devicti à nobis? Plebs, imò plerique, degimus in ignorantia securi: sunt qui fœdus icere cum hostibus, peccato, morte, sepulchro, non

dubitant: tantum abest, ut destruant Satanæ regnum, ut potiùs illud promovere, ejusque fines propagare satagent, imò & pro ipso contra Deum & Christum ejus faciant, ad suam ipsorum perniciem. Væ talibus!

II. Vos non sic, ô Christiani, si partem queritis in Christo, partem habere in ejus militia, nec deficite, sed ad victoriam & coronam usque manete stabiles. Equidem filii Belial, quibus nihil de hac militia compertum, fidelium certamen tam acre esse non credunt, licet iis sæpe obtingat in hac lucta animus tristis, facies squalida, & mens anxiosa; non enim est parvi laboris, carnem crucifigere, corpus contunderè, voluptates innatas spernere, iisque extremum vale dicere; durum est, contra Satanam in aciem procedere, tela retundere, & mortis angores vincere, 1. Cor. 9. v. ult. Col. 2:5. Eph. 6:16. Dexter hîc sæpe oculus eruendus, dextra abscindenda manus, cupiditates intimæ mortificandæ, Matth. 5:29, 30. 1. Joh. 2:15. Perturbant ipsos sæpe somnia terrifica, *foris pugna, horrores intus*, Psalm. 88:16. 2. Cor. 5:7. tela Omnipotentis, quæ cum indignatione sanguinem ebibunt, sæpe imminet, Job. 6:4. Si ergo in talibus selegerunt tanquam milites, si renunciant mundo societatem, cursum novum ineunt, certamen decertaturi bonum hujus militiae, ecce adsunt filii Belial, hæc ridentes, 1. Petr. 4:4. Verum enim verò hæc & alia his similia te non debent movere: præbe te strenuum Archippum, nihil concedens malis.

Usus II.
Constanter pugnandum.

III. Animo esto intrepido, utur acre & fervidum hoc sit certamen, 1. Petr. 4:12. Ipse Christus te docet, Luc. 11:21. dum fortis possideat domum, omnia esse tranquilla & in pace; sed eum furere, cum exire cogitur. At quid animæ tutius? Simul ut Nehemias muros Jerusalemæ ædificare coepit, restitit impius Sanballat, Neh. 2:19. Paulo obsistunt sui populares & cives, quibus prædicavit Evangelium, Act. 26:7. Satanas mox insurgit, cum regnum ipsius oppugnatur, & omnia movet contra eum, qui Babelem aggreditur.

Usus III.
Ictus hostium fortiter sustinendi.

Ipse fac periculum; Resiste homini veteri, & vide, num non in te viribus totis sit irrupturus. Sta à partibus Agni, & vide, annon transporteris in Patmos cum Johanne, Apoc. 1:9. Crucifige carnem, peccatorum cursum obstrue, & vide, quomodo se in omnes vertat formas. Desere vias tuas, & vide ut serpens te sibilis sit consecuturus; annon surculum infixurus carni tuæ & colaphis te cæsurus, 2. Cor. 12:7. At hæc te nullo terreat modo: qui enim miles non est, non est Christianus; si Satanæ, mundi, carnis inimicitias sentis, peccata & mors te terrent, vel inde conclude, te esse ex Christi commilitonibus; hi enim bello peruntur perpetuo, qui à partibus Christi stant.

Modò ad certamen sis probè instructus, induas *πανοπλία*, Eph. 6. ut supra indicavimus; ac

Usus IV.
Ratio modusque ritè dimicandi.

præ-

præbe te strenuum, 1. Cor. 16: 13. &c. & hunc in finem sedulo allabora,

α. Ut hostem tuum probe cognitum habeas, ne amicum pro inimico prosequaris. Paulus adhuc dum Saulus, persequatur Ecclesiam, 1. Tim. 1: 13. Mundi primores Dominum gloriae crucifigebant, Act. 3: 15, 18. Cur? Nesciebant. Petrus hac de causa plura promisit, quam præstitit, Luc. 22: 33. Et quæ causa, cur amici Jobi eum tam duriter tractarint? Non noverant ipsum; Job. 8: 6. Discipuli ipsi regnum nescio quod terrenum somniabant ex ignorantia, Act. 1: 6. Prov. 19: 2. Sine notitia nil boni: homines cæci non sunt idonei ad pugnandum, sed tantum ut serviant principi tenebrarum. Ergo ante omnia festare *Notitiam*.

β. Heroicum cape animum & usquequaque firmum atque erectum: *non enim pugna est cum carne & sanguine*, Eph. 6: 12. *sed cum principatibus, cum tumultuantibus*, Psalm. 2: 2. *cum Rege terrorum*, Job. 18: 14. Non Jether, sed Gideon Zebam & Zalmunam prostravit, Jud. 8: 20, 21. David percussit Philistæum, 1. Sam. 17: 49. Talis tibi necessarius est animus ad reportandam hinc victoriam.

γ. Ad sustinendum hoc bellum requiritur *Charitas*; bellum enim hoc adeo acriter instat, ut sine Charitate in Deum & Christum perdurare haud queas: at Charitas fortior morte, & in agone vincit, Cant. 8: 1. Cor. 13: 7. Quid, quæso, Christum movit, ut in hanc terram descenderet, servi formam assumeret, sicque cum morte & Satana decertaret ad mortem usque? Annon hoc potuit Charitas? Et ubi hæc te deficit, ingruente vi certaminis deficiis ipse, fugam capis, & aciem Christi deseris, Joh. 15: 9, 13. Joh. 21: 15. 2. Tim. 4: 10. Joh. 10: 11, 12.

δ. Tandem, continuis precibus vires & robur à Deo efflagiterur. Propheta miles veteranus hoc orat, Psalm. 51: 4. Paulus petit, Eph. 6: 10. Licet quis habeat notitiam, desit autem robur, is similis est militi, cui sunt oculi, at non brachia; & si ambo adsint, desit autem alacer animus: vel si etiam adsint omnia hæc, desit verò charitas, omnia deficient: Robur potest pugnare, at ubi animus deficit, non audet. Robur & animus præsens possunt & audent pugnare, at, deficiente charitate, nolunt: Robur, animus & amor possunt, audent, volunt pugnare, at ubi deest notitia, quæ dirigat prælium, felix negatur exitus.

Quare iterum, commilito Christiane, decertaturus bonum illud certamen, quære *Notitiam* tibi ducem; quære animum infractum, qui addat cor; quære amorem, qui te moveat; quære virtutem, & robur, quæ fortitudinem ac vires addant ad certamen, Eph. 6. Et in omnibus esto fidelis usque ad mortem; & tandem coronam vitæ consequeris, quâ nos omnes suo tempore exornet Dux militiæ nostræ Christus

Jesus. Amen.

SERMO XIV.

Textus idem, Philem. v. 2.

ΚΑὶ Ἀρχίππῳ τῷ συσχεπτῶτι ἡμῶν.
Et Archippo commilitoni nostro.

Exordium deductum ex, 1. Reg. 22: 31.

Hactenus Archippum consideravimus tanquam Evangelicum Christianum, adeoque militem Christianum: nunc ipsum proponemus tanquam Evangelii præconem, cujus officii respectu primario hic titulus (ut dictum supra) in ipsum convenit *συσχεπτῶτι*: qui titulus nos hic docet:

Δ. II. *Vocationem & munus fidelis Evangelii præconis esse perquam grave, laboriosum & operosum, in quo decertandum ipsi omnibus viis diebus contra Satanam & impios homines, sese ei opposentes.*

Sancivit Deus Gen. 3: 19. ut quivis in sua vocatione panem suum comedit in sudore vultus sui; id est, ut in ea sit sedulus, omnemque viter pigritiam & otium. Et hoc quadrat in hominem Dei. 2. Tim. 3. v. ult. utpote dictum de labore corporis & spiritualis animi: de utroque stat essatum illud: *Maledictus, qui opus Domini facit negligenter* Jer. 48: 10. At quanto antecellit hominis spiritus, ejusque æterna conditio potior est corpore ejusque conditione: tanto præponderat & antevertit labor & sollicitudo laborantium in spiritualibus quemcunque laborem circa corporalia.

Id quod clarum evadet, si titulos, qui ipsi tum hic in textu, tum alibi in sacra Scriptura attribuantur, paulo accuratius consideraverimus.

α. *Hic in textu*, appellantur *commilitones*, qui titulus etiam extat, Phil. 2: 25. ut etiam vocantur simpliciter, *Milites*, 1. Tim. 1: 8. & 2. Tim. 2: 3, 4. Nec solum in N. T. sed & in V. Num. 4: 3. & 8: 24. & Levitarum Ministerium inde vocatur *Militia*.

β. *Alibi* vocantur

a. *Piscatores*, & quidem hominum, Matth. 4: 19.

b. *Architecti*, 1. Cor. 3: 10.

c. *Vigiles*, Ezech. 3: 2.

d. *Plantatores, Rigatores*, 1. Cor. 3: 6, 9.

e. *Vinitores & Operarii, ac seminatores*, Luc. 13: 7. Matth. 20: 1. & 9: 38. Joh. 4: 36. 2. Tim. 2: 6.

f. *Patres familiæ, medici animarum & Oeconomi*. 1. Cor. 4: 15.

g. *Pastores*, & quidem ovium, Joh. 21: 16. Ubi Christus triplici quasi ictu Petri amorem ad lydiæ lapidem examinavit, quasi dicat, si animus tuus non est accensus zelo & amore Dei, non potes esse pastor ovium mearum, Eph. 4: 11.

DOCTRINA
Munus pastoralis est munus laboriosum, molestum, arduum & difficile.

Varij Ministeriorum tituli.

Simile.